

Ulrich Hugwald an Vadian.

(Basel. 1522. Januar?)

Überschwengliche Äusserungen des Dankes und der Verehrung. Übersendung eines theologischen Compendiums des Melanchthon. Bemerkung über Erasmus, Kratander und die neue Ausgabe des Mela.

Doctori medico eruditissimo et sanctissimo Ioachimo Vadiano S.

Quam non spe et expectatione^{a)} frustrentur, qui nullo præmii respectu nihil non operantur, solum ob divinam bonitatem et maiestatem, tu abunde arguis. Tuum enim animum amavi, liberaliter nihil inde exspectans^{a)}. Ecce tua benignitas plura reddit, quam vel somniare ausus fuisset. Sic etiam, inquam, polluta suorum opera deus remunerat. Magna enim per omnia animis tam excelsis cognatio cum deo. Tu fortassis putas, non tanti momenti esse literas tuas, quas dedisti tam elegantes, quam prolixas, cum nihil inde tibi perierit. Tune nescis ex animo meo, non tuo æstimandas? Homo omnium rerum mensura est. Quod autem tibi tantundem periit, quantum deo ex suis donis in nos collatis, id est, quod dico, nempe^{b)} vobis omnia cum divinis convenire. Et putas me tam inhumanum, ut hoc non charius sit, quo minoris constat? Si quis hæc audiret, clamaret, me omnes

du

6/16

L. 2. 2. 2.

adulatores post me relinquere, qui deo hominem comparo. Tu vero, spero, pro tua candida mente, ut sic dicam, vides, me non modo non adulari, sed ne iocari quidem etc. Quanquam optandum esset, te non interpellasse me ineptiis; adeo ex sententia non successit. Tibi enim gratum animum ostendere volui et utcunque testari, me agnoscere, quid debeam tibi patriæ causa. Quod tantum abest, ut persolverim, ut etiam iam tibi privatus devictus sim. Sed quid? quasi non tibi me totum, quantum, quantus sum, non dico libenter debeam, sed iam dudum devoverim. Sed cur non, dum scribo, tuas lego literas? quo excitetur animus et tempus fallam, quod me ad labores vocat. Nec enim otium est, ut scribam diligentia, qua cupio. Quare ne mireris nullum argumentum me epistola tractare^{e)} conantem. Hoc crede, quod, si dabitur otium unquam, efficiam, ut te non pæniteat^{d)}, me dignum duxisse, quem tam magnifice provocares. Modo favere pergant Musæ, quibus tanta est cura mei, ut somnium vix permittant. Ut enim elegantia et eruditione literarum me semper vinces, ita non committam, ut longiores tuæ semper futuræ sint; quanquam in hoc pelago laborum nullus appareat portus, ad quem delatus possim animo meo obsequi. Quod tu speras autem, te propediem ereptum iri ex pistrino, in quo es, gratulor et precor deum^{e)}, ut tibi omnia^{f)} secunda eveniant; idque magis nostra, quam tua causa. Petis, ut plurimis scribis addisque caussam, ut animus ingenii eruditionisque meæ simulacrum^{g)} videas. Quæso te, qua alia arte me a scribendo deterrere velles, si maxime cuperes? Scilicet in me quidquam^{h)} est, quod me tibi iungat, ullave spes est, indolem meam illam servilem et abiectam tuam tam altam et generosam ad se amandum allicere posse. Quamobrem si vel mihi aliquid mentis esset vel amor non cæcus esset, fugerem a facie iudicii tui. Tuum erit igitur, amori adscribere cæcitatem meam; alioqui non est mihi adeo nihil mentis, ut non conscius sim mihi meæ tenuitatis et mendicitatis; quanquam si me maxime continerem domi, ubi advenires per fenestras, ex oculis, fronte, ore, tota denique facie me cernerès. Neque enim tu philosophus et medicus minus ex corporis lineamenti et habitu, quam poeta et orator ex literis et sermone mentem et eius cultum videre potes. Quo igitur fugiam? (ecce et hic, quam tibi cum deo sint communia omnia). Nusquam; cum effugere non possem. Quin ad te effundere non dubitarem non epistolam tantum: totum volumen, si per otium possim! Fidendum enim est tuo candori magis, quam iudicium timendum. Tu fac, ut non nos ex natura penitus iudices; nam nobis iam

unice studio est, ut perdamus et evellamus naturam spiritumque Christi agi cupimus. Huc accedit, quod oportet, te aut non iuxta veritatem iudicare, aut tibi nullus homo placebit, quando omnis homo mendax est et hypocrita. Novum ergo spiritum, qui est per Christum, te aspicere necessum erit, non ex lineamenti animi specimen colligere etc. Vides, quam timeam mihi tam probe; scilicet nosco sordidam meam naturam. Admonet me locus ille rei et literarum et christianæ pietatis studiosis magnopere necessariae. Optarim te compendio præscribere victus rationem, quid et quantum corpori sit tribuendum, quo vigor animo servetur. Exstinguimusⁱ⁾ enim animos propter corpus, maiore, mea^{k)} certe sententia, insania, quam si quis corpus occideret propter^{l)} externas, quas vocant, opes illas; immo corpus cum animo occidimus voluptatum concupiscentiis illis infinitis. Tu ipse hæc melius vides, quam ego. Ego certe multum detrimenti passus sum, qui hactenus puer non vidi, quanta animo cum corpore cognatio sit quamque facile terra obrutus animus exstinguaturⁱ⁾, iamque tandem sero post ingentem iacturam vix incipio videre. Alioqui, ut divinam in me benignitatem non dissimulem, Musarum ianuæ mihi non prorsus clausæ sunt καὶ ἀγεώμετος sum omni saltem ex parte. Dici non potest, quam opere pretium esset facere, mi præceptor. Inquies: sunt multa in hoc scripta etc. Nullus est, qui nobis hic scripserit. Varia(n)t loca, ut scis, variant tempora. Hoc titulo nullus liber inscriptus est. Tamen studiosius amplecterentur omnes, quod tui nominis lenocinio commendatum esset etc. — Mitto tibi hic theologiæ^{m)} compendium Philippi Melanchthonis, de cuius libri magnitudine nihil dicere satiusⁿ⁾ duco, cum nihil satis possem; præsertim apud te, qui tanto melius vides, qualis et quantus sit, quanto maius et doctius ingenium habes. Obtestor te, ut legas. Hoc scio: ubi libellum hunc excusseris et epistolam, quæ Romanis inscripta est, quæ est scripturæ apocalypsis, tibi nullus in theologicis rebus præripiet^{o)} palmam. Tantam esse naturæ tuæ felicitatem exploratum habeo. Christus hoc genus animis expositus est. Graviter tuli, optime præceptor, quod levitatem vocas in me, quod tibi cognitionem christianæ disciplinæ seu philosophiæ^{p)}. Nonne es, Christum induisti? sed malo, ut hic ipse cogites; melius enim potes, quam ut ex me audias. — Vide importunam meam loquacitatem, quasi Vadiano Minervæ Hugvaldi suis adhortatione vel monitione^{q)} opus sit. Sed feras; nam, ut dixi, argumentum nullum aggredi ausus fui, quod exigeret ingenium iam in aliis occupatum. Vides ergo otiosa habere lo-

cum in minime otioso. Ex hac tamen tumultuaria et incondita congerie intelligis, quam cupiam scribere plurima, dum tot locos attingo et de nullo loqui, ut decuisset, vel incipio. Tu nec cultiores nec longiores literas a me extorquebis, donec exercitato hinc aliam vitam deus dederit. Iam, si quid in his literis est somniculosum, ignosce, quæso; nam febricula quædam me pæne^{v)} viribus destituit; oborta est lassitudo omnibus membris; et alias ignavus sum homuncio^{s)}. Vale. Scribi non posset, quam Erasmus Vadiani conspectum cupiat. Profecto tu non cupis magis eum videre, quam ille te. Cratandrum adii; sed non opus erat; nam dudum miserat Vadianum Vadiano; nec enim æquum arbitramur esse, ut Melam vocemus librum, quem iure tuum nomen sibi vindicat. Servet te deus optimus, maximus felicem pergatque auctiorem^{t)} reddere, ut facit.

Ulrichus Hugvaldus, discipulus tuus mancipiumque tuum.

Eruditissimo et optimo philosopho Ioa chimo Vadiano, literarum ornamento, præceptoris suo.

Zû Sant Gallen.

a) „exp.“. — b) „mepe“. — c) „tractari“. — d) „pœniteat“. — e) „deus“. — f) Über „omnia“ ein sehr überflüssiger Abkürzungsstrich. — g) „simulachrum“. — h) „quicquam“. — i) „ext.“. — k) „me“. — l) „proper“. — m) „theool.“. — n) „c“ für „t“. — o) „prari piet“. — p) Das Verbum finitum scheint ausgefallen; aber auch die folgenden Worte sind unklar. — q) „monione“. — r) „pene“. — s) „t“ für „c“. — t) „auctiorem“.

Wenn unter dem „Theologiæ Compendium“ des Philipp Melanchthon dessen im December 1521 erschienene „Loci communes rerum theologicarum“ zu verstehen sind, wie wohl anzunehmen ist, so fiel dieser Brief etwa in den Januar des Jahres 1522. Auf das Gleiche führt die Schlussbemerkung über Kratander, zusammengehalten mit Brief Nr. 305.